DE RHEUMATISMO EJUSQUE EXITU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIX. M. JULII A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS HAHLWEG

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

OPPONENTIBUS:

TH. KUGLER, med. et chir. Dr.

E. WUNDSCH, med. et chir. Cand.

R. CLAUSIUS, theol. et philol. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

HUMANISSIMO SUMMEQUE VENERANDO

L. HENNING,

AVUNCULO OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Jure dici potest, alium morbum non facile inveniri, cujus natura tam est obscura, omnibus medicis plus minusve tam incognita quam morbi rheumatici. Nobis enim est concedendum, medicos aevi antiqui multo melius quam novissimi rheumatismum quod attinet et ad pathologiam et ad therapiam cognovisse, causam ejusdem efficientem acre quoddam (1), ut ajunt, rheumaticum esse

---

(1) Stahl rheumatismi materiam descripsit hoc modo: „Est itaque nullum dubium, quin etiam varii humores rheumatico motu ad partes varias ferri, dirigi et adigi possint; qui tamen cum non per alia peculiaria et propria secessionum genera eo pertingere valeant, quam uno magis simplici, massae sanguineae ad illa loca majore incubitu et appulsu, quandoquidem etiam, qualescunque tandem, ita diversae rheumatum materiae non nisi in massa tota sanguinea stabulari, et ex hac in alia loca secedere possunt; dilucescit hinc affatim, quod equidem fluidum utique esse debeat, quidquid rheumatismum subiri dici possit; interim nulla aeque simpliciter propria atque determinata crasi circumscriptum esse vel debeat, vel omnino possit, cum et e promiscua massa secessio, et in loca specialissimae sequestrationi nihil idonea decubitus totus contingat. Tanto magis autem utique secundum dyscrasias accidentales sanguinis per individua peculiaris, materialis aeque atque occasionalis, rheumatismi constitutio ita obtingere possit: ut inquam, restagnatio illa, verbi gratia a tenuiore et acriore humorum dyscrasia individuail,

arbitrantes. De qua sententia recentioribus temporibus secessum est et rheumatismus inflammatio falsa habetur, id quod effecit, ut alia medendi ratione medici uterentur, quam nihil aegrotis profecisse scimus, quapropter mox ad veterum rationem redire coacti sunt.

Cujus morbi naturam ad accuratius cognoscendam, ut characterem physiologicum (1), omnibus rheumaticis generibus communem, nos primum contemplemur opus est. Novae scholae medicinae, cujus princeps Schoenleinius, praeceptor meus venerandus, jure nominari debet, summae laudi vertendum est, quod non in hoc solum morbo, sed in omnibus etiam idem effectum est.

Quod ad sedem spectat Rheumatismi, in iis tantum organis, quae telae fibrosae systema constituunt (2), invenitur, maximeque in musculis et voluntariis et involuntariis, in membranis fibrosis synovialibusque, tendinibus, ligamentis et nervis etc. In partibus affectis sanguinis copiam magis minusve esse adauctam semper reperimus, sanguinis autem compositio immutata videtur. Haec Hyperaemia (2) non semper est eadem, quippe quae

---

et altius partibus impingatur, et acrius illas afficiat atque molestiis infestet; et occasionem etiam praebeat, quam ob rem facilius aeque atque saepius ad ejusmodi conamina exundationum natura concitetur, quod reliqua sua sponte ita saepe atque promte probabilissime minus factura esset.“ (Georgii Ernesti Stahlii Physiol. et Pathol. Editio altera correctior. Halae MDCCXXXVII. p. 620. §. X.)

(1) Desvignes führt den Bau aller Organe auf 3 Grundformen zurück: tela vesicularis, — tela membranacea, — tela fibrosa, Dieser Eintheilung gegenüber stehen die Untersuchungen von Schwann.

(2) Handbuch der medicinischen Klinik v. Dr. C. Canstatt Erlangen 1841. Vol. I. p. 43—47.

modo activum modo passivum characterem praebet, interdum calor volumenque partis affectae aucta sunt et in sectis cadaveribus ruborem vehementem atque tumorem, saepius autem nihil eorum, quae supra, invenimus. Unde praeclare apparet, Rheumatismum nullo modo inflammationi esse aequalem, quamquam dubitari non potest, illum in inflammationem, uti saepissime in articulorum affectione, perfacile transire.

Symptoma vero praecipuum, quod in hoc morbo cernitur, sine dubio est chemismi animalis mutatio, quae formatio acidi anomali est. Veteres jam hoc cognovere vel, ut melius dicam, opinati sunt, quippe acre rheumaticum saepe proferentes; in hac tamen re valde erraruut, quod arbitrabantur acre rheumaticum idem esse in omni conditione. Novissimi autem temporis investigationes rem aliam ostendunt, adest paene in omnibus excretionibus acidi formatio anomala, sed hoc acidum non in omnibus organis idem. Velut in urina non solum multum acidi urici, sed etiam acidum purpureum (1) invenimus, deinde in cute externa acidum galacticum (2) et acidum aceticum, aut acidum his, quae dixi, simile; — in membranis synovialibus acidum galacticum et acidum phosphoricum. (Interdum quoque saliva (3) aride reagit, id quod ipse in clinico medico apud unum aegrotum,

---

(1) Berzelius, Thierchemie 335. u. Duvernoy l. c.

(2) Ueber die eigenthümliche Beschaffenheit dieser Säure siehe Berzelius Thierchemie 580.

(3) Ueber die normale Beschaffenheit des Speichels: Hand buch der Physiologie des Menschen von J. Müller. Coblenz 38. Vol. I. p. 508.

Rheumatismo cum eruptione miliariae pectoralis laborantem, observavi.)

Haec vero acida plerumque cum basi conjuncta sunt, aut conjunctiones neutrales aut acidas formantia. Saepissime hoc in cute externa cernitur, in aliis rheumatismi generibus sudor valde acide reagit, in aliis autem nullo modo, quia acidum cum basi, quo neutralis compositio fit, conjunctum est. Prope idem in urina haud raro videmus.

Apud omnes Rheumatismos universales, ut ita dicam, et febriles anomaliam in cute externa peculiarem quod attinet electricitatem animalem animadvertimus. Cognitum est omnibus medicis corpus humanum fortasse animalium quoque omnium semper procreare electricitatem (1), quae quibusdam conditionibus modo positiva, ut in statu naturali fieri solet, modo negativa; ut apud feminas inter menstruationem et in graviditate inveniatur (2); attamen in Rheumatismo electromensores (Electrometer) vel optimi nullam reactionem vis electricae monstrant (3). Usque ad hunc locum paene omnes artis medendi auctores consentiunt, quamquam, quo modo hoc fiat, nesciunt. Schoenleinius vero cutem externam ex conductore isolatorem esse factam arbitratur (4). Ex

---

(1) Handbuch der Physiologie des Menschen von Joh. Müller. Coblenz 1838. Vol. I. p. 64. Untersuchungen von Pfaff u. Ahrens. Meckel's Archiv. 3. 161.

(2) Beobachtung von Gardini.

(3) Die Untersuchungen von Pfaff und Ahrens haben ergeben, dass während der Dauer der rheumatischen Krankheit die Elektricität auf Null zu sinken, und so wie die Krankheit weicht, wieder zum Vorschein zu kommen scheint.

(4) v. Humboldt (über die gereizte Muskel- und Nerven-

qua cutis externae conditione, ut vir ille magno ingenii acumine putat, multo morbi rheumatici symptomata et nonnullae medendi rationes explicari possunt, quae breviter exponere mihi liceat:

a. Dolores proprii, quos dolores rheumaticos vocamus.

b. Hydrops inflammatorius cellulosus, frequens in generibus hujus morbi febrilibus. Huc accedit

c. quod homines, in quibus magna pigmenti carbonis copia in reti Malpighii deposita est, Rheumatismo rarissime tantum afficiuntur, quod distributioni hujus affectionis geographicae maximi est momenti, ut postea videbimus; quae res facile intelligi potest, si rationem facultatis vim electricam ducendi habemus (1);

d. quod inter cutem externam fricandam aut cum manu sola aut cum corporibus idioelectricis, veluti cum substantiis resinosis, Rheumatismus subito tollitur.

e. Vis acupuncturae.

Pars aegra est magnopère irritabilis, unde fieri videtur, ut dolores illi rheumatici appareant, similes iis, qui fluido electrico nascuntur. Haec autem partis affectae irritabilitas aucta sive electricitate accumulata sive acri rheumatico, ut veteres docent, varios gradus habet, modo enim celeriter extinguitur, modo inflammationem efficit, cujus causa efficiens rheumatismus est habendus, neque illa hujus causa efficiens, ut hodie multi medici opinantur. Praeterea mihi est addendum, divisis modis irritabilitatem illam apparere, sive musculi, sive mem-

---

faser. I. p. 159.) hatte bemerkt, dass Rheumatische für den Strom der einfachen galvanischen Kette isolirend sein.

(1) Grundr. d. Chemie v. Dr. F. Wöhler. p. 16. Berl. 38.

branae fibrosae, sive nervi afficiantur. Quod ad nervos attinet, pars eorum motoria rarius, quam pars sensitiva inficitur; affectio prima vel contractiones spasticas vel musculorum paralysin (1), affectio vero altera dolores proprios (2) praebet.

Nec quisquam facile alium morbum invenerit, qui tam fugax, sedem tam saepe mutet quam Rheumatismus (3), qua re ab inflammatione, metastasibus aliena praeclare differt.

Schoenleinius praeterea omnes homines, hoc morbo laborantes, plus minusve magnopere irritabiles in metallis adtrectandis (nostrates Metallführer vocant) esse adjicit.

NUNC DE AUTOPSIA CADAVERUM.

Quae supra exposui, ex iis in sectione mutationes materiae raro inveniri posse apparet; in chronicis tantum atque in vehementioribus, uti apud Miliariae eruptionem, musculi affecti aut calore valde rubro aut fusco, interdum atrophi, tela cellulosa humore aquatico impleta inveniuntur; praeterea in Miliaria non solum desorganisationes cordis, sed etiam truncorum arteriarum latiorum sanguinisque adsunt.

DE REACTIONE TOTIUS ORGANISMI UNIVERSALI.

Febris non semper est hujus affectionis comes. Medici veteres inter febres cardinales, febrem quoque rheu-

(1) Rheumatismus paralyticus.

(2) Rheumatismus nervosus. — Rheumatalgia.

(3) ῥέω — ῥεῦμα.

maticam commemorarunt, quae ad morbum pertineant, symptoma febris pathognomonicum putantes. Quod est falsissimum; sunt enim morbi genera rheumatica, ubi jam ineunte affectione febris adest, alia autem, in quibus res ita sese non habet. Utrum febris adveniat, necne, e conditionibus hisce dependet:

a) e partibus affectis, ubi enim sedes morbi est in musculis aut in nervis, reactio universalis raro existit, id quod saepe jam morbo incipiente fieri solet, si membranae synoviales corripiuntur;

b) e vi affectionis. Quo celerius morbus oritur, eo saepius febris adest;

c) ex ambitu affectionis;

d) e conditione singulorum propria;

e) ex aetate aegroti.

DE PROPAGATIONE RHEUMATISMI.

Plerumque solet affectio morbi rheumatici topica ab uno corporis loco, raro ab multis initium capere, et sensim tantum partes aequales invadere. Ut exemplo utamur: primo malleoli articulatio Rheumatismo afficitur, nonnullis horis post articulatio quoque genu, tum femoris, postremo humeri et manus; tali modo autem Rheumatismus fixus, quem vocant, existit. Ab hoc autem Rheumatismus vagus eo differt, quod affectio partem primo correptam sensim relinquit aliaque in organa, seu aequalia seu inaequalia, dummodo ad systema telae fibrosae pertineant, transit. In quo genere Rheumatismi aegroti vita in summo periculo est, propterea quod organa, ad vivendum plane necessaria, corripi possint; est igitur medici transitus periculosos, quam fieri potest,

prohibere. Quos transitus Schoenleinius noster legibus certis (1) pendere arbitratur, quae quidem non semper sunt cognitae; in musculis disjunctio inter flexores et extensores praevalere videtur; in aliis autem disjunctio inter peripheriam centrumque adest etc.

NUNC DE COMBINATIONIBUS ET COMPLICATIONIBUS.

Creberrima combinatio est cum inflammatione. Conjunctionis autem forma duplex inflammationis cum morbo rheumatico est distinguenda:

1. Irritatio, quam Rheumatismus effecit in organis affectis, ad inflammationem partis augetur, id quod inter omnia organa, morbo illi obnoxia, in membranis synovialibus frequentissime cernitur.

2. Irritatio ad organa, et non procul sita a partibus morbo rheumatico affectis, et huic affectioni non subjecta, transit inflammationemque, cui nomen quoque est inflammatio rheumatica, procreat. Quod inprimis invenitur in his locis, ubi musculi cum membranis serosis, quae non telae fibrosae sunt, conjunguntur, veluti musculi pectorales maximeque intercostales et pleura, — musculi abdominales et peritonaeum, — musculi capitis et tunica arachnoidea etc.

Nunc nonnulla de inflammationibus, ut dicuntur, rheumaticis, quae in decursu permulta anomala offerunt.

a. Haec affectio saepe sedem celerrime relinquit.

b. Est valde propensa ad pseudocrisin, id quod maxime ad membranae serosae inflammationem rheuma-

---

(1) Gesetz des Uebertragens, — des Wendens.

ticam spectat, ubi jam saepe inter nonnullas horas humoris aquatici exsudatio sequitur.

c. Crises omnino sub lyseos forma et cum intermissionibus apparent, unde mihi quidem fieri videtur, ut morbus tam frequenter redeat. Est igitur medici aegrotum, antequam crises non plane sint perfectae, diligentissime observare, praesertim quum haud raro accidat, ut affectio topica, jam paene deleta, subito redeat.

Priusquam autem hanc combinationem supra expositam relinquo, animum in rem quandam verti necesse est, quae saepenumero aegroto periculum summum objiciat. Jam medicis veteribus cognitum erat, ad Rheumatismum maximeque ad Rheumatismum acutum affectiones cordis non solum pericardii, sed etiam substantiae atque cordis membranae internae, quae species a Bouillaud Endocarditis (1) est nominata, saepissime accedere. Sunt autem duo genera distinguenda eaque, ubi primo partes externae morbo afficiuntur, tum cor (2), deinde ubi cor primo aegrotat, tum demum alia organa corripiuntur (3). In clinico medico ab Schoenleinio occasio mihi data est casum talem observandi, ubi hanc distributionem medendi rationi summi momenti esse agnovi. Solet enim, si affectio rheumatica organa externa petat, cor, prius correptum, esse liberatum censeri, id quod, ut e supra expositis facile intelligi potest, falsissimum est. Qua de causa omnes medicos et in tali conditione et in omnibus

---

(1) Die Pathologie und Diagnose der Krankheiten der Brust von Charles S. B. Williams; aus dem Englischen übersetzt und herausgegeben von Dr. St. Velten. p. 215.

(2) Metastase nach dem Herzen.

(3) Weiterverbreitung der rheumatischen Affection.

Rheumatismis acutis cordis investigationem stethoscopii auxilio facere necesse est. Hic restat errorem magnum commemorare, in quem multi incidere solent, qui putent, si aegroti molestias cordis subjectivas, ut ita dicam, sentiant, semper huic rei inflammationem subesse, quae ex hac sententia venaesectionibus remediisque antiphlogisticis topicis est fungenda, unde fit, ut haud raro aegroti paulo post mortem obeant et in cadaveris dissectionibus nihil inflammationis inveniatur. Tales molestiae cordis subjectivae, ubi inquisitione stethoscopio facta plane nihil affectionis inflammatoriae reperitur, quaeque novissimis temporibus, ut a cordis inflammatione distinguantur, Innervatio cordis dicuntur, in omnibus fere conditionibus Miliariae eruptionem comitantur.

Re vera autem morbi, quos dixi, facile discerni possunt, quia in cordis innervatione symptomata cum intermissionibus apparent brevique eruptio Miliariae seu pectoralis seu abdominalis quoque advenit, id quod in hujus organi inflammatione maximam partem non adest, ubi tamen certa nobisque cognita signa stethoscopio audiuntur.

Praeter combinationem supra expositam Rheumatismi cum Catarrhis est commemoranda. Quum aetiologia et Rheumatismi et Catarrhi in plurimis paene omnino inter se conveniat, mirari non possumus, quod haec complicatio prope frequentissima est, unde fiat, ut multi medici hos morbos eosdem et, ut ita dicam, esse modificatos tantum organorum diversitate contendant. Quam complicationem iis maxime conditionibus saepissime videmus, quibus organa Rheumatismo afficiuntur, quae non procul a membranis mucosis sunt, velut cum Rheumatismo colli musculorum affectiones Laryngis Tra-

cheaeque catarrhales (1), porro cum Rheumatismo membranae intestinorum muscularis Catarrhus membranae hujus organi mucosae (2) etc. (3).

DE AETIOLOGIA.

Homines cute molli facileque sudanti, deinde feminae, praecipue puerperae ad Rheumatismum magis inclinant quam homines cute dura atque arida, quibusque praeterea magna pigmenti carbonis copia est deposita, id quod jam e capillorum calore cognosci potest. Hoc idem efficere videtur, ut noster morbus apud gentem mongolicam, inprimis autem apud Aethiopes rarissime inveniatur (4), quum gens caucasica saepenumero invadatur; liceat igitur proponere rationem hancce: quo albidior teneriorque nationis cutis est, eo frequentius Rheumatismus invenitur. Quae omnia constitutionis cutis rheumaticae nomine, ut vocatur, jure complecti possumus. Quum tamen cutis constitutio rheumatica conditio singulorum propria interdum sit, hoc morbo homines certos saepius quam alios affici videmus, insuperque quum a conditione cutis peculiari, ut supra breviter ex-

---

(1) Angina rheumatico-catarrhalis.

(2) Diarrhoea rheumatica.

(3) Praeterea complicationis, ut ita dicam, Gonorrhoeae secundariae cum Rheumatismo acuto seu articulari mentio est facienda. Secundum multorum et recentioris et antiquioris temporis medicorum observationes Rheumatismus acutus apud hominem, Gonorrhoea secundaria laborantem, decursum malignum haud raro facit et in partium articulorum fibrosarum degenerationem finiri solet, unde sine dubio factum est, ut medici aevi antiqui Rheumatismum quoque gonorrhoicum commemorarent.

(4) Bazolle, Observat. sur les malad. des Nègers etc. Par. 1776, 8.

posui, hoc maxime dependeat, Rheumatismi receptivitas et adaugeri et diminui potest.

Quamquam et omnes vitae periodi et individualitas quaeque certis conditionibus atmosphaericis ad hunc morbum sunt propensae, concedi tamen oportet frequentioribus hujus affectionis invasionibus saepe ad gradum incredibilem facultatem aegrotandi crescere.

Hactenus de momentis morbi internis, ut ita dicam; progrediamur nunc ad causas proximas, maximeque ad constitutionem aëris propriam, qua Rheumatismus efficitur (1). Antequam ad hanc rem aggrediar, sententiam auctoris doctissimi proferre mihi liceat (2): „experientia certa et indubia constat, nihil in rerum natura esse, quod praeter adfectus animi et venena, tam subitam mutationem motibus et functionibus corporis animati inferat, quam aër mutatus, adeo ut etiam animi vigor exinde varie adficiatur.«

Ad morbum rheumaticum ingenerandum nihil plus confert vimque majorem habet, quam tempestas diu humida, pluvia, nebulosa (3), si dies praecalidos noctes frigidae sequuntur, aut si uno die calor et frigus saepe mutatur. Haec constitutio atmosphaerica, in qua vis quoque electrica modificata est (4), sive adaucta sive di-

---

(1) Schulz, D. de constitutione atmosphaerica. Hal. 791.

(2) Fridericus Hoffmannus, de fundamentis Pathologiae generalis. Halae Magdeburgicae MDCCXLVI. p. 275.

(3) entweder in tropfbarflüssiger od. in dampfförmiger Gestalt.

(4) Allgemeine Pathologie von Dr. Carl Wilh. Stark. Leipzig 38. p. 278. Ueber den Einfluss der Elektricität auf den Menschen und die Entstehung der Wechselfieber und Rheumatismen (Medic. Topograph. v. Pavia in Heusingers Zeitschrift f. d. org. Phys. V. I. L. 4. 827. p. 502—507.)

minuta, in nostra regione autumno saepissime cernitur, quam ob rem illo tempore Rheumatismus fere epidemicus regnat; — interdum aestate quoque, si tempestate tonitrua edente refrigeratio aëris atmosphaerici subito efficitur.

Quod spectat ad incitamenta et directa et indirecta, cutis sudantis refrigerationem maximi momenti esse ad procreandum nostrum malum omnes contendunt.

Priusquam autem aetiologiae describendae finem facio, Rheumatismi genera quaedam commemoranda mihi videntur, quae, ut multi medici opinantur, certorum usu medicamentorum oriantur (1), in quorum numero ponunt primum metalla quaedam, ut Hydrargyrum, praecipue Hydrargyrum muriaticum corrosivum, Arsenicum (a multis Zincum quoque, Plumbum et Bismuthum adnumeratur); deinde nonnulla Metalloida, ut Sulphur et Phosphorus, magna denique copia medicamentorum vegetabilium, uti Valeriana, Chamomilla, China et ejus Alcaloidum cum acido sulphurico conjunctum, Chinium sulphuricum. Existunt enim interdum, his medicamentis adhibitis, praesertim quum diaeta quoad cutem externam negligatur, sensus quidam non solum in musculis, sed etiam nonnunquam in articulis, sicut imprimis Chinio sulphurico frequenter adhibito, iis similes, qui acri rheumatico ex veterum sententia evocantur, quos sensus Hahnemannus primus Rheumatismum medicamentosum vocavit. Jam veteres medici, in quorum numero Sydenham, hanc rem satis cognoverunt, attamen Hahnemanni est proprium putare, omnibus conditionibus

(1) Arzneirheumatismus.

medicamenta illa talem vim, qualem antea descripsi, habere; praeterea ejusdem est proprium, e nobis bene cognato axiomate „Similia simi'ibus" fugari quoque posse iis medicamentis Rheumatismum, quum in homine sano hoc malum efficiant. Quae sententia, ut facile intelligi potest, est falsissima. Omnes enim irritationes et in musculis et in articulis interdum, illis medicamentis ortae, symptomatibus Rheumatismo vero pathognomonicis, veluti turbatione facultatis vis electricae ducendae, et chemismi animalis mutatione carent. Quamquam non dubitandum, quin irritatio, sed nostri morbi diversa, existat, quum multa medicamentorum illorum uti Valeriana, Chamomilla etc. sanguinis systema excitent, unde fit, ut cutis externae secretiones augeantur, — alia autem, uti Phosphorum, Arsenicum album, Hydrargyrum muriaticum corrosivum etc. cute excerni scimus, si igitur haec excretio frigoris injuriis supprimitur, irritationem propriam perfacile provocari posse apparet.

DE DECURSU MORBI.

Decursus morbi rheumatici in omnibus generibus non est idem, sunt quaedam, ubi decursus acutus, quorum nonnulla paucas tantum horas durant, sunt alia, ubi chronicus, nam et per menses, et per complures annos, quin etiam per totam vitam perdurare potest. Saepenumero formam acutam in chronicam transire et formam chronicam ad acutam adaugeri videmus. Praeterea mihi est proferendum inter hujus affectionis decursum symtomata quod attinet intermissionem oscillationes magnas ostendere, quae ex atmosphaerica constitutione pendeant et ita quidem, ut Rheumatismo laborantes in tempestate

sicca, sive calida, sive frigida levamen capiant (1), contra in aëre nubilo, turbido, pluvioso et regnantibus ventis humidis molestias majores sentiant (2).

DE EXITU MORBI.

I. In convalescentiam, quae, dum praeclara signa critica adsunt, et cute externa et urina efficitur; in formis acutis modo crises sunt copiosiores quam in chronicis, ubi praeterea per longum tempus trahuntur et cum intermissionibus procedunt. Crisis praecipua autem Rheumatismi cute externa est, quae sudorem multum acideque reagentem, plerumque sub lyseos forma excernit; praeterea in Rheumatismis longe perdurantibus atque ad morbum arthriticum se inclinantibus, excretiones crystallinae in cute externa, constantes ex acido urico aut e salibus ureticis nonnunquam apparent. Jam saepius urinae crisin, illa sedimenta latericia, e salibus ureticis et acido purpureo composita, desideramus, quae in generibus Rheumatismi chronicis, praeter illa ubi turbationes tubi intestinalis adveniunt, ubi aegroti ad podagram sunt propensi, interdum modo observatur. Verum Schoenleinius, in clinico medico maximum esse signum saepe dixit, si et sudor et urina critica adsint, quum certis conditionibus, sedimento urinae latericio deficiente, hoc morbo laborantes in summum periculum haud raro incidant, praecipue in Rheumatismo acuto cum cordis affectionis complicatione, seu cum Carditide seu cum Endocarditide, et hoc saepissime accidere eoque

(1) Der Krankheitsprozess wird latent.
(2) Der Krankheitsprozess wird azent.

effici, ut concretiones arthriticae deponantur. Quamobrem urina quoque, sedimentum lateritium deponens, efficit, ut multo meliorem prognosin statuere possimus, quam ubi crisis non est visa. Tamen hoc loco referendum, feminis hoc periculum, deficiente urinae crisi, non tam frequenter adduci ut viris accidere soleat, nam apud illas mucus ureticus (1) aequivalens pathologicum, ut ita dicam, pro normali excretione salium ureticorum praebet (2). Ex investigatione chemica hic munus quoque, sicut sedimentum urinae latericium, quum multis aliis morbis tum Rheumatismo proprium, Ammonium ureticum aut Ammonium ureticum cum Magnesia continet et illi pigmentum proprium tantum deest.

Aegri autem, crisibus perfectis, non statim plane revalescunt, nam debilitas magna, impedita facultas musculis morbose affectis utendi, sensum hebetudinis in articulis per longum tempus perdurat. E sententia omnium medicorum jam convalescentes exiguis saepe causis in morbum recidunt, qua de causa medico symptomata morbum recidivum indicantia accuratissime cognoscere est necessarium. Symptomata vero sunt haecce:

a. Pulsus frequens, sive symptoma constans sive intercurrens, motu corporis parvo effectum.

b. Pulsus celer, quem nos sermone vernaculo »Schnellender Puls« dicimus.

c. Conditio urinae propria. Si urina aut turbida subito fit, aut acidum iterum reagit, aut minus quam solet emittitur, morbus semper redit. In clinico medico

---

(1) Harnsaurer Schleim.

(2) Es entsteht eine sogenannte Blennorrhoea rheumatica vesicae.

ea conditione haud raro observavi, urinam horis matutinis et inter diem missam multam, pellucidam stramineamque fuisse, horis vespertinis autem et inter noctem saepe turbidam, acide reagentem atque copiam minorem.

Praeter has, quas dixi, crises, supplementarias quoque crises, quas vocamus, in nostro malo haud raro invenimus, quarum duas frequentissimas accuratius describam.

1. Phlyctaenosis labialis (1). Plerumque circa angulos oris nasique alas vesiculae aggregatae, circulo inflammato circumdatae, valde prurientes, circiter magnitudine seminum milii aut canabis, nonnunquam etiam pisorum parvorum, initio repletae pellucido fluido subflavo, deinde sero simili, interdum purulento ipso, semper tamen alcalice reagente, efflorescunt, quibus secundo vel tertio die ruptis crustae lamellosae, modo crassiores modo minus tenues, plus minusve subflave coloratae remanent, quae octo aut decem diebus post decidunt et maculas rubras mox evanescentes relinquunt. Hoc exan-

---

(1) Herpes labialis Will. et A. — Exanthema labiale J. Frank. — Olophlyctide labiale Alib. — Das Ausfahren des Mundes. — Das kritische Lippenexanthem.

Die krankhaften Veränderungen der Haut und ihrer Anhänge in nosologischer und therapeutischer Beziehung von C. H. Fuchs. Göttingen 40—41. p. 1080.

Abbildungen:

Rayer, IV. 9. Traité des maladies de la peau. Edit. II. Atlas 22. (26.) pl. Par. IV. 1835.

Froriep, Tab. XLIII. 10. Atlas der Hautkrankheiten. 64 Taf. Weimar IV. 1830—39.

Truestedt u. Behrend, Tab. VIII. 5.

Ikonographische Darstellung der nicht syphilitischen Hautkrankheiten. 30 Taf. Leipzig fol. 39.

thema signum criticum, Rheumatismo tantum acuto cum Catarrho partis superioris organorum chylopoëticorum praecipue ventriculi, duodeni et ductuum bilis excretoriorum complicato, apparet. Multi Phlyctaenosin, praesertim quum praeter locos, quos supra dixi, magnam corporis partem (1) occupaverit, certissimum convalescentiae symptoma esse contendunt, id quod equidem non semper vidi.

2. Psydracia acuta Hidroa (2). Sunt vesiculae solitariae, parvulae, copia pellucidi parva fluidi aquatici aut vaporis aquae repletae, in basi rubenti non positae, praecipue ad claviculam, in collo et parte thoracis anteriore versantes atque cum sudoribus copiosis efflorescentes. De diagnosi hujus exanthematis et Miliariae postea.

II. In convalescentiam partialem. Rheumatismo existere possunt residua haecce:

1. Paralysis musculi, cujus nervi nostro morbo sunt afflicti. Irritabilitas hujus partis affectione incipiente aucta, longius tamen morbo perdurante plane deletur, qua de causa, ut facile ad intelligendum est, musculi atrophia oritur. Quum musculo autem, facultate movendi carente, antagonista fortis est datus, contractura,

---

(1) Phlyctaenosis sparsa (Herpes phlyctenodes Willan u. A. C. H. Fuchs, p. 1081.

(2) Pustulae sudorum, Sudamina Hidroa var. — Schweissfriesel. C. H. Fuchs, p. 183.

Abbildungen:

Bateman, 55. (als Miliaria). Delineations of cutaneous diseases. 72 pl. Lond. IV. 17.

Froriep, XXIX.

Rayer, IV. 11.

Truestedt, Behrend, VI, 3.

quae rheumatica appellatur, existit, uti saepe in extremitatibus, in collo (Torticollis), interdum quoque in columna vertebrali (Lardosis, Scoliosis (1), Cyphosis) cernitur. Sententia medicorum illum musculum, cujus facultas sit adaucta, affectum esse falsissima.

2. Hypertrophia musculi nostro morbo affecti, id quod saepissime in corde Rheumatismo correpto cernitur, ut novissimis temporibus multi medici Hypertrophiam cordis affectionibus rheumaticis semper effici contenderint. Hoc idem falsissimum, quum, uti omnibus bene cognitum est, vitia quoque valvularum, quibus irritatio cordis perpetua procreetur, statum hypertrophicum hujus organi efficere possint (2).

3. Infiltratio aquatica. Si Rheumatismus in membranis synovialibus sedem habet, interdum humor aquaticus aut in telam cellulosam aut in articulos (3) effunditur, qui exitus ultimus saepius in Rheumatismo acuto quam chronico, et Hydrops quidem articulorum acutus cum febri vehementi adest.

4. In organis diversis depositio materiae, quae nostro morbo nascitur (4), et in decursu normali hujus affectionis et urina et sudore excernitur. Inter omnia organa, Rheumatismo obnoxia, hanc depositionem materiae rheumaticae, ut ita dicam, in articulis saepissime

---

(1) Stromeyer, über die Paralyse der Inspirationsmuskeln. Hannover 36.

Guenther's Untersuchungen (Pfaff's Mittheilung. 1836. Heft 9. p. 10.

(2) Etwas ähnliches sehen wir in den Bronchien bei chronischen Catarrhen, bei Affectionen der Blase, des Darmkanals etc.

(3) Hydrarthrosis. Hydrops articulorum.

(4) Ablagerung der pathischen Producte

invenimus, unde concretiones rheumaticae (1), quas vocamus, oriuntur (2).

5. Suppuratio. Hoc residuum interdum videmus ubicunque irritatio ad inflammationem crescit, quod in articulis frequentissime, ut supra exposui, existit. His conditionibus aut abscessus simplex aut, si morbus longius perduravit, ulcus rheumaticum fit, quod ulcus insuper secretionis organum materiae morbosae se offert, quum ichor acide reagat et crystalla salium ureticorum excernat (3). In Rheumatismo musculorum abdominis Schoenleinius saepe observavit affectionem rheumaticam, loco saepius mutato, tandem aliquando certum locum maximeque quidem musculos rectos abdominis occupare ibique in suppurationem perfacile exire; deinde medicus ille peritissimus animadvertit, haud raro pariter musculos pyramidales quoque affici, ubi fere semper exitus in suppurationem, remediis adhibitis aptissimis, nullo modo impediri possit et pus, hoc abscessu effusum, odorem urinae similem saepenumero edat, investigationibus quidem vesica urinaria semper salva inventa (4),

---

(1) Litteratur der krankhaften Verknöcherung siehe in Otto Lehrbuch der pathologischen Anatomie V. I., p. 54. Nota 1.

Handbuch der Physiologie des Menschen von Joh. Müller. Berl. 38 V. I., p. 589.

J. Moore, on gouty concretions or chalk-stones; in Medico-chirurgical Transactions V. I., p. 112.

(2) Anchylosis vera et spuria.

(3) System der Chirurgie von Ph. Fr. v. Walther. Berlin 33 p. 111--112.

(4) Es scheint dieses Muskelpaar deshalb zum System der Uropoëse zu gehören, weshalb auch Schoenlein die Entzündung dieser Muskeln Cystitis muscularis nennt.

quod factum lege Endosmosis (1) tantum explicandum esse affirmavit. Unde vero fiat, ut musculi pyramidales morbose affecti tam frequenter in suppurationem exeant, nobis non cognitum dixit, sed in hoc unum animum esse vertendum: quod paene omnes medici bene sciunt organa anomala, fortuito inflammata, perfacile purulenta, fieri; musculos pyramidales vero anatomicorum sententia apud omnes homines non pari modo adesse (2). Quod attinet ad locum abscessus musculorum pyramidalium, aut in his partibus ipsis aut in vesica urinaria aut in intestino recto apparere potest, ubi in clinico medico mihi quidem occasio observandi bis data est, quamquam omnino non intelligo, quomodo pus in hac parte excernatur, quum hoc nec perforatione, symptomatibus Proctitidis deficientibus, nec resorptione (3) effici possit,

---

(1) Berzelius Thierchemie p. 118.

Biot. Experimental-Physik übersetzt von Fechner V. I., p. 384.

Müller's Physiologie V, I., p. 243.

Wach, Schweigg. Journal 1830 p. 20.

Poisson, Poggend. Ann. 11. 134.

(2) Handbuch der Anatomie des Menschen von Dr. C. E. Bock. Leipzig 38. V. I. p. 279.

(3) Viele Physiologen läugnen die Resorption des Eiters. Handbuch der Physiologie des Menschen von Joh. Müller. V. I., p. 272.

Andere Auctoren nehmen sie an. Allgemeine Pathologie von Stark. Leipzig 38. p. 938.

Velpean Revue méd. Mai 1827 p. 216. u. 233 in Heusigners Zeitschrift. V. I. L. 5. p. 639. ff.

System der Chirurgie von Ph. Fr. von Walther. Berlin 33. V. I., p. 65. §. 78.

Vide deinde Magendi. Krammerer, im Journal für Ch. und A, V. XIV. p. 1.

quam his metastaticis depositionibus totius sanguinis, systematis reactionem vehementissimam, quae non adfuerit neque in iis, quos ego observavi, neque quos Schoenleinius, sequi scimus. Stark, vir doctissimus, de ea haec docet (1): »Eine grössere Menge, zumal im Gefässystem selbst producirter, jedoch auch von Aussen demselben zugeführter, zumal mit der äusseren Luft in Berührung gewesener (Velpeau) Eiter erzeugt ein heftiges Reactionsfieber, welches mit einem starken Frost beginnt und meist mit dem Tode endigt, indem das Blut mit dem Eiter gerinnt. Doch scheint nur in kleineren Quantitäten durch Resorption ins Blut gelangter und durch die aufsaugenden Gefässe assimilirter Eiter nicht so heftige Wirkungen hervorzurufen, indem er im Blute latent und durch die Excretionsorgane, namentlich durch die Nieren, ohne weitere lebensgefährliche Folgen wieder ausgeschieden wird, oder mehr oder weniger ausgebreitete zahlreiche Entzündung erregt (2).«

Et in his et in similibus affectionibus initium tantum finemque videmus, id vero, quod inter haec positum est, nescimus.

---

(1) p. 938,

(2) Hinsichtlich der Wirkung des resorbirten Eiters glaubt Bonnet (a. a. O.), dass die Resorption des guten, rahmartigen Eiters, welcher durch die Einwirkung der Luft noch nicht verändert wurde, keine besondere Zufälle hervorbringen werde, weil mit ihm nur Stoffe ins Blut kommen, die demselben natürlich sind; — wenn sich aber im verdorbenen faulenden Eiter hydrothionsaures Ammoniak mit Ueberschuss von Ammoniak entwickelt und mit dem Serum oder Eiter aufgesogen wird, so gelangt ein septisches Gift in das Blut, dessen Gegenwart im Blute und Ausscheidung im Harne Bonnet nachgewiesen hat.

6. Affectio systematis glandularum (1). Omnes medici sciunt, apud homines, Scrophulosi seu aperta seu latente, habitu peculiari modo, laborantes, si, in morbum alium incidant, Scrophulosin latentem apertam reddi aut, si aperta jam antea adfuerit, tumores novos existere. Solent eae glandulae affici, quae non procul ab organis, Rheumatismo correptis, sitae sunt.

III. In morbum alium.

I. Morbi nervorum. Potest fieri, ut supra exposui, ut acre rheumaticum aut in nervis motoriis aut in sensitivis deponatur. Si nervi motorii invaduntur, initio spasmi, quos nominant multi Erethismum nervorum motoriorum, existunt, sicuti Asthma rheumaticum etc. Quum novissimo quoque tempore multi medici haud raro vocem »Asthma rheumaticum« in ore habeant, quod, ut accuratius dicam, magis symptoma quam morbus ipse; hoc malum quibus affectionibus effici possit, breviter describere mihi liceat. Asthma rheumaticum oritur:

a. affectione rheumatica nervorum intercostalium;

b. affectione rheumatica cartilaginum intervertebralium atque apparatus ligamentosi columnae vertebralis, unde fit, ut nervi spinales irritentur;

c. affectione rheumatica pericardii cordisque et substantiae muscularis et membranae internae praecipueque valvularum;

d. affectione rheumatica musculorum, quos Reisseisen in bronchiis invenit (2).

---

(1) Scrophul. rheumat.

Handbuch der Anatomie des Menschen von C. E. Bock. V. II. p. 788.

Sin autem sensitivi nervi morbo nostro afficiuntur, Hyperaesthesiam (1) hujus partis observamus, unde Prosopalgia (2), Ischias nervosa Cotunni antica et postica (3), etc. existere possunt. Omnem autem irritationem multo post depressio sequitur, itaque in nervis sensitivis Anaesthesia, in motoriis autem Paralysis, uti hic saepenumero e causa rheumatica paralysis N. facialis (4). Postremo Epilepsiae mentio est facienda, quae certis conditionibus secundum multorum medicorum observationes e causa rheumatica haud raro oxoritur (5).

2. Inflammatio eaque partium illarum, quae morbo rheumatico non obnoxiae et haud procul ab organis, Rheumatismo correptis, sunt positae; quo modo intrant Pleuritis rheumat., Peritonitis rheumat., Arachnitis rheumat., Sclerotitis rheumat. etc.

3. Morbus arthriticus (Podagra). Jam veteres scriptores similitudinem quandam inter Rheumatismum et morbum arthriticum esse putaverunt, quum multi medici novissimi temporis sine dubio nimium contendant,

---

Pathologie und Diagnose der Brust von Charles S. B. Williams p. 72.

Wilhelm Stockes Abhandlungen über die Diagnose und Behandlung der Brust-Krankheiten. Aus dem Englischen von Gerhard von dem Busch. Bremen 38 p. 227.

(1) Neuralgia.

(2) Lehrbuch der Nervenkrankheiten des Menschen von M. H. Romberg. V. I, D. 1, p. 51.

(3) Idem V. I, D. 1, p. 61.

(4) Valentin l. c. p. 32. §. 70. Magendie l. c. p. 198. Die specielle Therapie und Pathologie vom klinischen Standpunkte aus bearbeitet von Dr. C. Canstatt. Erlangen 42. Vol. III. p. 296. §. 62. —

(5) Ibidem Vol. III, p. 346. §. 196.

morbum eundem esse dictitantes. Quam sententiam refutare longum est, habuerim ego rationem ejus rei tantum, quod homines Rheumatismo chronico laborantes, vitam, per quam totam sedere soleant, degentes, laute coënantes, individuali vel a patribus recepta constitutione, aetate provecta, morbo arthritico perfacile corripiantur. Quam ob rem ad hunc exitum impediendum medici est, organa chylopoëtica talium aegrotorum ob oculos diligentissime habere.

4. Miliaria (1). Adhuc parum constat, utrum veteribus scriptoribus, utrum jam Hippocrati, auctori artis medendi, miliaria cognita fuerit, nec ne; nam sub finem seculi decimi sexti, quo Sudor anglicus magna quasi epidemia paene per totam Europam in tam terribilem modum grassabatur, primi Ingrassias, Crato multique alii hoc malum et idiopathicum et symptomaticum nobis tradidere, sicut novissimis quoque temporibus apparet. Quod non apud animum constitueram, miliariam idiopathicam describere, hoc quidem exponere mihi liceat, quo modo exanthema illud cum Rheumatismo sit conjunctum. Ii medici in summo errore sunt, qui Miliariam omnibus conditionibus productum medendi ra-

---

(1) Morbus s. febris miliaris. — Purpura sec. XVI. — Sudamina maligna var. — Cerchnasmus Ploucquet. — Die Frieseln; das Frieselfieber, das Schweissfieber. — Millet, miliaire, suetto miliaire. — Miliary eruption. — Miarola, migliarina. —

Von Milium, Hirse. — Die deutsche Benennung stammt von Fries, einem groben, auf seiner Oberfläche rauhen Wollenstoff. —

Fuchs Hautkrankheiten p. 901. Abbildungen:

Rayer IV, 10. 11.

Trüstedt et Behrend VI, 1. 2. 3.

tionis habeant, (quamquam nobis est concedendum, interdum nostrum malum medicamentis diaphoreticis excitantibusque adhibitis apparere posse.) nam in antiphlogistica ipsa quoque ratione adhibenda, diaphoreticae plane opposita, exanthema periculosum haud raro observamus, cujus equidem nonnullorum exemplorum in clinico medico memoriam teneo. Sunt enim tempora atque regiones, ubi fere omnes aegroti, Rheumatismo maximeque acuto seu articulari, multo rarius Rheumatismo musculari laborantes, corripiantur. Cujus exanthematis eruptioni certa cordis symptomata praecedunt; apparent enim magna inquies, angor, palpitationes cordis vehementes, cum pectoris oppressione saepe conjunctae cumque intermissionibus existentes, quae, brevioribus spatiis interjectis, paroxysmis autem prolongatis, redeunt. Qualem paroxysmum, pulsu frequentissimo comitatum, sudores et copiosi et foetentes et acide reagentes sequuntur, dum inter has cutis externae excretiones inquies, angor, pectoris oppressio, quin etiam cordis palpitationes et pulsus frequentia non plane remittuntur. Ad haec, quae supra dixi, symptomata praeterea unum prope certissimum signum Miliariae eruptionis saepe accedit, idque sensus pruriens, formicans et hebes, interdum etiam pungens in extremitatibus, et quidem in superioribus apud Miliariam pulmonalem, in inferioribus apud M. abdominalem. In singulis quibusdam aegris symptomata anginosa in stadio prodromorum, ruborem levem Veli palatini, Pharyngis, Tonsillarumque, et saepe in his partibus ante exanthematis eruptionem parvas vesiculas cernimus. Tempus, quo exanthema

ipsum efflorescat, non est certum, plerumque nascitur jam decem aut viginti quatuor horis, interdum autem tribus, quin etiam quatuor diebus, postquam symptomata illa apparuerunt. Maxima parte Miliaria primo ad claviculam, in collo, in dorso, in parte thoracis anteriore erumpit, qualis Miliaria pectoralis, rarius primo in abdomine et in regione inguinali, qualis M. abdominalis nominatur. Inter has duas species nihil interest, ut multi medici contendunt. Nunc de singulis breviter:

a. Miliaria pectoralis (1). Sunt vesiculae parvulae, circiter magnitudine seminum milii, prius digito quam oculo cognoscendae, acutae, solitariae, circuitibus inflammatis interdum inter se confluentibus circumdatae, initio repletae humore aquatico (2) et acide reagente, deinde sero simili (3).

b. Miliaria abdominalis (4). Sunt vesiculae majores quam Miliaria pectoralis, magnitudine circiter se-

(1) Miliaria pulmonalis (Schoenlein). Es entspricht diese Art mehr der Purpura s. Miliaria rubra der Alten, als der Alba. — Die Suette miliaire der Picardie scheint ihr vorzugsweise anzugehören. (Fuchs Hautkrankh. p. 901). Abbildungen ·

— Rayer IV, 10.

— Trüstedt et Behrend VI, 1. 2.

(2) Miliaria crystallina.

(3) Miliaria lactea.

(4) Miliaria abdominalis — puerperalis — uterina (Schönlein.) Diese Form entspricht mehr der Purpura s. Miliaria alba der Alten, als der rubra.

Levret führt sie als eine Milchversetzung in die Haut auf.

Abbildungen: Am meisten ähnelt der M. abdom: was

Rayer IV. 11. und nach ihm

Trüstedt et Behrend VI, 3. als Sudamina abbilden.

minum cannabis, interdum in nulla basi rubente positae. In eruptione hujus exanthematis symptomata cordis aut in modo mediocri adsunt, aut prorsus deficiunt, pro iis autem in extremitatibus inferioribus signa illa peculiaria, praeterea dolores colici plus minusve vehementes in abdomine existunt.

Eruptio Miliariae semper cum intermissionibus apparet, saepeque per nonnullos dies, quin etiam per complures hebdomades (quod observavit Schoenleinius interdum usque ad sextam seu septimam hebdomadem), perdurat, unde fit, ut in uno aegroto exanthema ex diversis stadiis cernere possimus. Quamquam imaginem hujus exanthematis ea adumbratione, quam modo confeci, satis accurate expressisse mihi videor, ut non facile quisquam eam ignorare et confundere possit, tamen ad certiorem morbi definitionem exhibendam verba nonnulla de eo exanthemate, quo morbus noster in singulis symptomatibus similis sit, facere mihi liceat. Signa diagnostica inter Miliariam et Arthrophlysin cardiacam (1), Scarlatinamque miliarem (2), quam speciem Hahnemannus multique alii exanthema plane a Scarlatina diversum esse temere putant, facile

---

(1) Miliaria arrhritica — habitualis — chronica — der Gichtfriesel.

Fuchs, Hautkrankheiten. p. 492.

(2) Scarlatina vesiculosa.

Idem p. 1037.

Abbildungen:

Bateman, XXIII. 1. XXIV. 2.

Froriep, XI. 1. XII. 2.

Truestedt u. Behrend, IV. 6.

constituenda sunt, sed aliter res sese habet inter Miliariam et Hidroam, praesertim quum Hidroa sicut Miliaria vera in morbis quoque febrilibus et cum sudoribus copiosis appareat. Discrimina autem inter haec exanthemata sunt:

Hidroa in omnibus morbis apparere potest, absunt tamen prodromi eruptionis Miliariae pathognomonici, quos supra exposui; sudores odorem foetidum non edunt neque reactionem acidam praebent, vesiculae deinde circulo inflammato non circumdatae, nec tam frequentes sunt, humorem acide reagentem non continent, sed aquam aut vaporem aquaticum, non turbidantur, inter dies nonnullos praetereunt nihilque symptomatum periculosorum, sicut in Miliaria, etiamsi a cute externa quoque depellantur, efficiunt.

5. Peliosis rheumatica (1). Primus hoc exanthéma descripsit Schoenlein maximeque naturam ejus cognovit rheumaticam.

Censeo equidem Peliosin rheumaticam eodem jure, quo Miliariam inter morbos ex Rheumatismo esse numerandam. In clinico medico occasio mihi data est aegroti, Peliosi rheumatica laborantis, ab initio affectionis usque ad convalescentiam observandi, qui jam longum tempus de Rheumatismo in extremitatibus inferioribus, praecipue

---

(1) Rheumatokelis (Fuchs, p. 927.)

Roseola rheumatica Ray. — Vielleicht auch Purpura urticans Batem.

Die Abbildungen von Bateman XXIX. 1. u. Froriep XVI. 3. unter der Aufschrift: Purpura urticans, haben einige Aehnlichkeit mit Peliosis rheumatica.

in pedis articulis querebatur et videbat tandem, simul doloribus rheumaticis fere plane remissis, peculiare in crure exanthema. Erant maculae solitariae, rubrae seu fuscae, rotundae, parvae, magnitudine circiter lentis, supra cutem, ut mihi quidem videbatur, non altae, digito premente non evanescentes; postquam maculae per quinque vel sex dies in crure perduraverunt, pallescebant et desquamatio furfuracea existebat.

At morbus quidam est, quocum Peliosis rheumatica confundi potest, dico morbum maculosum seu haemorrhagicum Werlhofii (1), quem tamen facile discernemus, nam morbi maculosi Werlhofii maculae, non procul a se dissitae, saepe confluunt, digito premente non evanescunt, totum corpus occupant, infra epidermidem sitae sunt nec, frigore recepto, cutem externam relinquunt; deinde mutationes bene cognitas membranarum mucosarum invenimus, porro symptomata rheumatica atque desquamatio absunt. Ergo sunt plane diversa symptomata ab iis, quae Peliosin rheumaticam designant.

IV. In mortem. Quamvis ex omnium auctorum sententia nobis est concedendum, Rheumatismum in morbis periculosis non esse numerandum, tamen aegroti haud

---

(1) Purpurea haemorrhagica.

Peliosis haemorrhagica. — Hémorrhagie pétéchiale. — Land scurvy. —

Abbildungen:

Bateman, XXVIII.

Froriep, XVI. 2.

Rayer, XX. 9. 12. 13.

Truestedt u. Behrend, XXVI. 4,

raro moriuntur et quidem aut paralysi organorum centralium et cerebri et medullae spinalis et cordis, praesertim quum Miliaria e cute externa depellatur atque partes illas transeat, — aut consumtione virium, febri torpida facta.

His omnibus morbum explicasse mihi videor, cujus naturam valde incognitam supra dixi, de qua Schoenleinius, venerandus noster praeceptor, proposuit mihi sententiam, quam ex rationali methodo profectam, facile quispiam verissimam putaverit.

VITA.

Natus sum Alexander Carolus Hahlweg, Slochaviae, Borussiae occidentalis oppidulo, die undetricesimo mensis Martii anni millesimi octingentesimi septimi decimi, patre Carolo Hahlweg, matre Friderica, e gente Preuss, quos mortuos parentes lugeo; addictus sum confessioni evangelicae. Primum Gymnasium Conitiense per annos tres directore Beat. Gahbler, tum Neosedinense Gymnasium Regium Hedvigianum, directore Cl. Giesebrecht florens, per annos quinque frequentavi. Ma-

turitatis testimonio instructus, autumno anni MDCCCXXXVIII mense Novbr. in alma universitate Friderica Guilelma Berolinensi ab Ill. Joa. Mueller, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, ap. Ill. Schultz, t. t. medicorum ordinis decanum spectatissimum, nomen professus, hisce scholis interfui:

Ill. Hecker de medicinae encyclopaedia et methodologia; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Cel. Dowe de physice; Ill. Kunth de botanice; Ill. Gabler de logice; Ill. Benecke de psychologia; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Mueller de anatomia corporis humani, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparata, de physiologia speciali, de physiologia generationis; Ill. Schlemm de anatomia organorum sensuum, qui una cum Ill. Mueller in arte cadavera rite secandi mihi dux fuit; Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Cel. Kluge de arte obstetricia; Cel. Troschel de

chirurgia generali et speciali, deinde de arte fascias imponendi; Exp. Angelstein de operationibus ophthalmiatricis; Ill. Wagner et Cel. Nicolai de politia medica et medicina forensi; Ill. Hecker de medicinae historia cum pathologia historica; Cel. Romberg de propaedeutice clinica.

Ad praxin medicam me instituerunt Ill. Schoenlein, Cel. Truestedt, Cel. Barez; ad chirurgicam et ophthalmiatricam Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach; ad obstetriciam Cel. Kluge.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas, quas possum, gratias ago semperque habebo.

Nunc tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In stadio primo Typhi abdominalis Calomelas remedium est optimum.
2. Iridectomia reliquis coremorphoseos operationibus est praeferenda.
3. Anima dividi potest.
4. Doloris sedes non semper est sedes morbi.
5. Palpitatio cordis e contentione seu labore exorta motus associatus est habenda.